

1523

C O D I C E S

1524

edoctus sum relatu fide dignorum, quod nec unum errorem probare potuit przibram super Anglico, et si ego mentiri vellem, auditorium totum scit, in quo defecit, quia actus inchoatus per prefatos Magistros perfectum non suscepit complementum. Atqui Przibramius cum Paynio congressus est a. 1427. et 1429.

Codici Membrana eleganter exarata, sed mutila subtexta est, sistens Tabulas Indulgentiarum collatarum bene facientibus Ecclesiae S. Galli abbatis in Ciuitate Pragensi a quibusdam Episcopis, quorum adhuc legi possunt: Adenulphus Consanus Archiep. Nicolaus Tortibulens. Jacobus Calcedoniens. Angelus Fesulan. et Bonifacius Parentin. Epp. Adscriptus est Bonifacii Pape octauui Anus sextus, et infra ejus Ratihabitio: — — nostra ordinaria qua fungimur confirmamus XL. Dies hujusmodi remissionis et gracie — — appensione muniti. Sub Anno Domini Millesimo. CCC. primo. ij. Idus Julij Pont. nostri anno Sexto.

CCCCXI.

934 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 175. 4. non una manu exaratus, constat sequentibus: I. Indice alphabetico in Decretum Gratiani, qui ad calcem scriptus dicitur et finitus: in decollatione Sancti Johannis Baptiste, hora quasi XXII. in Basilea. Anno M^o CCCC^o XXIII.

II. fol. 24. Indice Locorum S. Scripturae, quales habemus ad calcem Operum SS. PP. Hic vero idem labor impensus est a solerti Discipulo Operibus Joh. Wiclefi, ut Doctor hic, quem sui Evangelicum dixere, nulla re priscis illis Ecclesiae Doctoribus inferior discederet; nam et Opera ejus Summariis, Notisque diligenter instructa, et textos eorundem Catalogos plus vice simplici vidimus, qua in re Bobemos prae ipsis ejus Popularibus elaborasse arbitror.

III. fol. 109. sequitur absque titulo Ejusdem Pastorale. Initium: Cum duplex debet esse officium christiani &c. Ut alias. In praesenti desunt extrema.

IV. fol. 133. absque titulo Ejusdem Speculum secularium Dominorum. Initium: Cum veritas fidei eo plus rutilat &c. Ut alias. Hic vero mancum.

V. fol. 139. p. 2. item absque titulo Ejusdem de Sex Jugis. Initium: Ut simplices Sacerdotes zelo animarum succensi &c. Ut alias.

VI. fol. 145. absque titulo Defensio IV. Articulorum, quos a. 1421. Pragenses e mente Wiclefi et Hussi publicarunt, quae prostant in Cochlaei Hist. Hussit. L. V. p. 199. et a nobis non semel allati sunt. Incipit haec Defensio: Quia fideles ut supponitur christiani inhabitantes regnum Boemie conceperunt, qualiter propter peccata superiorum et specialiter sacerdotum multa mala in christianismo

1525

P O L E M I C I.

1526

christianismo contigerunt &c. Ordo *Articulorum* alius est ab impressis; primus enim noster est III. secundus est I. tertius est IV. et quartus est II. cuius inversionis rationem nescio. Scriptum nostrum in manibus *Cochlaei* fuisse probat ejus Peroratio, quam integram L. cit. p. 200. legendam dedit.

VII. fol. 157. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *Magistri Stephani Palecz*, et quidem de *Ecclesia*, ut enunciat Cod. CCCCXXII. *Romana*. Incipit: *Quia in equiuocatione huius nominis Ecclesia multi decipiuntur &c.* Adi Cod. mox cit.

VIII. fol. 162. Alius *Tractatus* ejusdem argumenti, hic ἀδελφότητος, sed Codd. CCCCXXI. et mox relato tributus *M. Stanislao de Znoyma*, cuius initium: *Quia mysticum et ecclesiasticum compositum totius ecclesie &c.*

IX. fol. 169. *Epistola* inscripta: *Duci Wladislao Ceteris Nobilibus et uniuerso populo Boemie Bernhardus Clareualen. vocatus Abbas Salutem in Christo.* Initium: *Est mihi sermo ad vos de negotio christi, in quo est salus uestra &c.* Ex quo videri possit haec *Epistola* eadem, ac illa, quam in eodem Belli sacri *Hierosolymitani* negotio ad *Orientales Francos* et *Bajoarios* datam legas edit. *Ma-bill. Opp. Bernardi Vol. I. T. I. p. 326. n. 363.* Sed diversam esse, adeoque ἀνεκδοτον, totus deinceps contextus ostendit, quamvis iisdem ex parte argumentis, ut facile arbitrato, *Bern-Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

hardus ad animos ciendos utatur. Inter alia multum commendata *Noxarum* venia pergit: *In proximum pascha profecturus est exercitus domini et pars non modica per Hungariam ire proposuit. Illud quoque statutum est, ne quis varijs aut croceis seu effeminatis utatur vestibus. Sed neque in equorum faleris auri vel argenti quippiam apportet. Tamen in scuto et ligno sellarum quibus utentur, cum ad loca procedent, aurum vel argentum apponi licebit &c.* Et concludit: *Habetis apud vos dominum Morauien. Episcopum virum sanctum et doctum, quem exhortamur, ut secundum sapientiam que data est ei a domino, diligentius super hoc uniuersitatem uestram studeat exhortari &c.* Illustrat rem Nota subiecta, quae sic habet: *Hec epistola scripta est circa annum domini Millesimum Centesimum quadragesimum secundum, vel prope citra (1146?) duci Bohemorum wladislao, qui post auctoritate Imperatoris Conradi factus est (1157) Rex coronatus secundus Bohemorum post wratislaum, qui primus fuit (1084) rex Bohemorum. Quo tempore Otto pragen. Episcopus mortuus est et daniel in eius locum (1148) est surrogatus. Olomucen. autem Episcopus (de quo supra in Epistola mentio) eodem tempore erat Henricus, qui et Sdyco dicebatur (frater Wenceslai Moraviae Ducis, mort. 1157.) Illo siquidem tempore fuit christianorum passagium ad defensionem Ecclesie Ierosolimitane contra Regem Babilonie,*

X

1527

C O D I C E S

1528

nie, ad quod dux *Wladislaus* cum fratre suo *Henrico* et patruelo suo *Spitigneo* &c. cruce assumpta et armati se transtulerunt. Successu, ut notum, infelici.

X. fol. 170. Collectanea praeceptue e Patribus, five *Auctorita-*

tes de tribulacione, de Caritate, de Mundi prosperitate, et aliis, quibus interjecta bina *Foliola* rhythmis conscripta, hoc initio: *Jam oportet me metra scribere, quia nescimus nos sapienter regere.*

*Proch modo ex nichilo pullulat alta seges
Sicienti riuulo concresecunt novae leges &c.*

Querelae de corruptis moribus, Commendatio Passionis Domini &c. e quibus nihil eruas, nisi quod ad *eximium et amandum Praefulem* dirigantur. Subscriptus est bohemicè *Jan rzieczyeny bad*, id est *Johannes dictus Serpens*.

XI. fol. 173. p. 2. *Rziecz Smateho Pawla* &c. five *Sermo Sancti Pauli contra vitia hujus Seculi* vocat et loquitur. Initium latine redditum: *Vox sancti Pauli vocat. Toti mundo dicens. Omnes qui pie volunt vivere* &c. E quo mox intellexi *Παράφρασις* hic haberi Opusculi illius, quod olim diversis tributum *Mauriani* T. VI. *Opp. Augustini* Append. col. 219. ad *Ambr. Autpertum* retulere, ut dixi ad Cod. CCXLI. quodque incipit: *Apostolica vox clamat per orbem* &c. et de *Conflictu Virtutum et Vitiorum* inscribitur. Desiit jam in C. VI. elegans *Παράφρασις*, atque in Peroratiuncula subjecit: Se ita senio decrepitem, ut jam ambulare non valeat; hunc vero Sermonem misisse Sacerdoti *Bedrzi-choni*, cum nihil aliud officiorum ad eum consalutandum haberet. Ad Sec. XV. initia labor hic per-

tinet; quo tempore paucis sane Gentibus contigit, aliquid e PP. Scriptis lingua sua vulgari possidere.

CCCCXII.

Codex chartaceus, lat. Sec. 176 XV. Folior. 279. f. per duas columnas currente calamo exaratus sequentia complectitur: I. *Petri Tzech* five *Tzach* ab oppido natali infer. Austriae dicti *de Pulka*, ad D. Stephanum Canonici et de Academia Vindobonensi optime meriti *Traſatum contra Huffitas*, qui incipit: *In nomine patris et filij et spiritus sancti Jussit vestra reuerendissima paternitas ac metuendissima dominatio talia que negare phas non est* &c. Finit vero: *Et in eadem fide et obedientia Romane videlicet ecclesie semper fuit gubernata ecclesia christi*. Quae in hoc Scripto hactenus inedito plurimum impugnantur, sunt Senſa Huffitarum de Bonis temporalibus Cleri, de Libertate praedicandi Evangelium, et de Communione Sacramenti Altaris. Ad calcem rubro subditur: *Et sic est finis huius opusculi*